Elegidion
in obitum
Catharino Nicolai
1581. Hak.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

44,-7

LN 1188
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

ELEGIDION IN OBITVM FILIOLÆ SVÆ CATHARINÆ,

QVÆ MORTALITATEM EXPLEVIT, AD COELITES MIGRANS pridie Nonas Auguſtas, Anno Chriſti Redemptoris

M. D. LXXXI.

SCRIPTVM
A

Nicolaus Iani Pavelig
Christianus Danielis Ramus

JOHANNE NICOLAI
Diœceſium Aſloënſis & Hammarenſis in Noruegia Superintendente.

n 129

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Ornatiſsimo viro, eruditione, digni-
nitate, prudentia, eloquentia, humanitate
ac vera pietate præcellenti,

DN. ERASMO CERVI-
NO, ECCLESIARVM IN PRO-
VINCIA TONSBERGENSI PRÆPOSI-
to fideliſsimo, ſuo præceptori, amico
ac affini, ſumma ſemper ob-
ſeruantia colendo.

Christianus S. D. Ramus.
Danielis filius.

CVM ante ſemeſtre ex Telemarchia reuerſus, eccleſiam Sandenenſem, portui Drammen vulgò nuncupato propinquam, ratione officij inſpecturus eſſem: Humaniſsime Dn. Eraſme, præceptor, amice ac affinis omnium cariſsime: Nihil æquè in votis habui, quàm vt mihi tecum in collocutionem venire, & de mea profectione tam longinqua, totq́; periculis, curis ac moleſtiis obnoxia, deq́; noſtris rebus ac negociis præſertim ad Religionem pertinentibus ſermones ſociare mihi liceret. Proinde nuncio confeſtim ad te miſſo Tonsbergiam, acceptoq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

*inde reſponſo, te mihi præſentiam tui prope-
diem facturum: oppidò ſanè quàm lætabar,
eò quod id temporis præſtò apud me adeſſent
quidam ex amicis ac perneceſſariis vtriusq;
noſtrûm, qui mihi reduci, pro ſua humani-
tate, gratulantes, proſpera quæq; de vxore
mea cariſſima ac liberis dulciſſimis, reli-
quisq; domeſticis atq; intimis meis familia-
ribus annunciarunt. ſimulq; literas Hafnia
nuper Aſloiam, me abſente, perlatas, & à
Reuerendo Magnifico & vndiquaq; do-
ctiſſimo viro, Dn. Doctore* PAVLO
MATTHIÆ, *Sacræ Theologiæ in al-
ma Academia Hafnienſi profeſſore prima-
rio, & Sielandicæ Diœceſeos Præſule vigi-
lantiſſimo, tuo veteri amico, meoq; Mœce-
nate ac Domino reuerenter obſeruando, ad
me datas obtulerunt, vnà cum codicillis
aliquot venerando Seni Dn. Magiſtro*
FRANCISCO BERGIO, *ſocero no-
ſtro cariſſimo, ac tibi mihiq; ab eodem dono
miſſis: quibus adiuncta erat optimi viri M.*
NICOLAI SCAVENII *Epiſtola*

pera-

peramanter ad me ſcripta. Unde incredibilem voluptatis & gaudij vim ac copiam percepi: quæ tamen in longum tempus haud perdurauit. Postridie namq́ eius diei, quo ad paſtorem prænominatæ eccleſiæ, quæ eſt in parochia SANDENE, *veni (nempe 5. Auguſti) cùm literas Magnifici vereq́ Nobilis ac celeberrimi viri Dn. Doctoris* ERASMI LÆTI *inſpicerem: ab adoleſcente quodam, qui eas mihi reddidit ſignificatum eſt, filiolam meam vnicè caram veſpere præterito fatis (proh dolor) conceſſiſſe. Quo audito vehementer turbatus ac contriſtatus de illius obitu immaturo, acerbiſſimè conflictabar: ita vt quidquid antea in mea mente lætitiæ erat, id omne dolor ingens mihi protinus excuſſerit: vt veriſſimum id eſſe nunc compertum exploratumq́ habeam, quod à multis decantari ſolet: Nihil tam beatum eſſe in humanis negociis, quod non aliqua incommoditate temperetur: Nihil tam proſperum ac lætum, quod non aduerſitas ac dolor aliquis ſequatur & excipiat.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Cæterùm vt dulci Muſarum commercio, ſacriſq́; exerciciis, mei luctus ac doloris acerbitas aliqua ex parte leniretur, tuiq́; conueniendi deſiderium leuaretur (vtpote quem iam toto integro triennio aut eo amplius non viderim, ac ne quidem tum temporis, cum in modo dicta parochia tuum aduentum præſtolarer, videre mihi licuerit, ob inopinum ac ſubitum meum inde diſceſſum) Elegidion hoc ſeu μέλος θρηνῶδες funebremq́; querelam ſucciſiuis horis conſcripſi, ac ſub tui nominis auſpicio publicaui, ſtudio declarandi mei erga te officij pro multis beneficiis tuis in me collatis, tuaq́; ſingulari beneuolentia, qua me ſemper indeusq́; ab eo tempore, quo in hac Schola Aſloënſi (cui annis aliquot magna cum laude & iuuentutis fructu præfuiſti) tuum collaboratorem agere cæpi, humaniſſimè complexus es, atq́; etiamnum complecteris. Etſi autem argumentum, quod tracto, pertenue eſt, ſtylus exilis ac rudis, carmen nec arte ſatis nec induſtria formatum aut acri iudicio firmatum elaboratumq́;.

Ideoq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Ideoq́; reprehendi fortaſſe à doctis haud im-
meritò poſsit, iuxta Horatij cenſuram, qui
de præcipitantia in verſibus faciendis cohi-
benda loquens: Omne (inquit) carmen
reprendite, quod non Multa dies & multa
litura coërcuit, atq; Perfectum decies non
caſtigauit ad vnguem: Tamen id quantum-
uis rude, minutum, incultum, ac ſalebroſum,
teſtificandæ voluntatis meæ cauſſa, tibi de-
dicandum eſſe duxi, quó ſcilicet vel hinc con-
ſtaret, me recordantem & ſuauiſsimi amoris
Natæ meæ dulciſsimæ, piè in Chriſto defun-
ctæ: & iucundiſsimi vſus mutuæ inter nos
beneuolentiæ ac familiaris amiciciæ: nec
ἄστοργον eſſe aut ingratum, nec prorſus à bona-
rum artium atq; poëtices ſtudiis abhorrere,
quæ nūc à multis, præſertim à naturis diſtor-
tis ac monſtroſis, hoc peruerſó ſeculo, proh do-
lor, faſtidiuntur. Quo nomine mihi haberi
debet venia ab eruditis & candidis homini-
bus, iis potiſsimum, qui cum Apolline &
Minerua, totoq́; nouem Sororum Choro, ceu
veterani milites ſæpiuſcule congreſsi, in lite-

raria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

raria paleſtra diu fœliciter decertarunt, nuſquam haſtam abijcientes: ſi alicubi excuſſus & mea ſpe fruſtratus à ſcopo aberrarim. Et ab iis amanter & officioſè peto, vt ſi quid hìc offenderint, vt certe offendent (modo legerint) quod diſpliceat, aut parùm gratum ſit, id partim ingenij imbecillitati, quod mihi ſanè perquàm exiguum eſſe & res ipſa loquitur, & ipſemet profectò diffiteri non poſſum: partim meis continuis occupationibus, quibus animus variè diſtractus implicatur, & à quibus hæc ardua ac difficilis functio nunquàm ſolet eſſe immunis, benignè adſcribant.

De te verò, mi Ceruine, ſic ſtatuo, & id omnino mihi perſuaſum habeo, neminem fore, qui hos qualeſcunq; ELEGOS & hunc meum laborem vel vrbanius vel hilarius ſit excepturus. Conſtat enim te non modò fœlici fœcundoq; ingenio, acri iudicio, inſigni facundia, diſciplinarum omnium ſcientia, ac linguarum peritia, ita eximiè præditum atq; ornatum eſſe, vt laudem inter

inſigni-

inſigniter doctos non poſtremam habeas: verumetiam Muſica harmonia vel numeroſa oratione affici delectariq́ꝫ plurimùm, in eaq́ꝫ excolenda ſingularem induſtriam & præclara ſtudia poſuiſſe. Id quod ingenij tui fœtus, & egregia, quæ domi ſupprimis monumenta, facilè teſtantur, quæ vt in lucem aliquando prodeant opto, & tam vtilis fœcundusq́ꝫ labor, eorum ſcriptis ac laboribus adnumeretur, qui & ſuum honeſtum nomen poſteritati conſecrârunt, & aliorum famam ab interitu vindicârunt. de quibus præclarè Lucanus in hunc modum cecinit: (to

O ſacer & magnus vatum labor, omnia fa-
Eripis, ac donas populis mortalibus æuum.

Vt nihil interim dicam de tua ſingulari modeſtia, ac incredibili morum ſuauitate, vitæq́ꝫ innocentia pariter ac in officio diligentia, quam tua veneranda & amabilis εὔνοια καὶ φιλοφροσύνη, *cum reliquis virtutibus ita eximiè ornant ac commendant, vt noſtratibus nõ minus quàm externis* προεστὼς Ἐράσμιος *iure meritiſsimo dicaris.*

Filius ipſe Dei D. N. Ieſus Chriſtus, verus ἱκέτης καὶ μεσίτης noſter, te florenti vegetaq́ꝫ valetudine ſaluum ac incolumem quam diutiſsimè conſeruet, viribus tum corporis tum animi confirmet & augeat, omniq́ꝫ proſperitate beet, vnà cum vxore tua GEDESIA, matrona pudiciſsima ac honeſtiſsima, cumq́ꝫ filiis ac filiabus tuis mellitiſsimis, ac tota domeſtica eccleſiola. Salutat vos ſocer, & mea MAGDALENA, quàm officioſiſsimè. Bene & feliciter vale. Aſloia, die XIII. Decembris, Anno gratiæ LXXXI.

Johannes Nicolaj.

ELEGIA.

QVisquis amæna cupit bijugæ viridaria rupis
Leneq́; Pegaſei. flumen adire lacus;
Clarus vt vbertim, Clarijs è fontibus hauſtos
Ingenio faciles, condat & arte, modos:
Queſtibus & lachrymis, curisq́; ſolutus et expers
Ille doloris erit, luctificiq́; metus.
Non etenim ſæuos gemitus, pauidosq́; labantis
Mœrores animi, ſuſtinuiſſe poteſt.
Qui Muſis grandi referens impendia fœtu
Præclarum, vena diuite, pangat opus.
Namq́; Cithæriadum, vates, delubra ſororum
Sacra & Apollineos geſtit adire choros.
Tunc, cum mente viget lœta, & valet ore diſerto
Fœcundi præſtans dotibus ingenij.
Aſt idem luctu, trepidisq́; pauoribus æger,
Cum nihil eximij parturijſſe queat.
Aonias turres, nitidiq́; palatia Phœbi,
Theſpiadumq́; ſacras horret adire domos.
Quod liquidò experior, dum fletibus ora profuſis
Mî rigat infandus contemeratq́; dolor.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Dumq; metu cruor adſtrictus penetralia cordis,
Infeſtat quatiens membra tremore graui.
Quo fit vt ad dios adyti ſacroſq; receſſus
Pieridum verear nunc ego ferre pedes.
Nam cùm deficiant membris, mihi, robora: nec ſit
Vis animi ſolers, ingenijq; vigor:
Vix potero mœſtus, lepidis, dare lœta Camænis
Tempora, vix hortos viſere Caſtalios.
Languida mens equidem ſeſe in ſua clauſtra recon-
Bellerophontæas non bene luſtrat opes. (dens,
Pocula nec ſumit, quæ fortè propinat Apollo,
Continui ſentit quando laboris onus.
Ergóne Muſarum deſes pia caſtra relinquam,
Protinus, & Clarij blanda fluenta ducis?
Non ita: ſed celeri curſu huc contendere pergam,
Fundit vbi ſuaues turba nouena ſonos.
Sunt vbi lenifluæ, dulcis Permeſſidos, vndæ
Promit vbi illimes, Phocidos amnis, aquas.
Quò properat crebris pedibus ſtudioſa Iuuentus,
Atq; peritorum, docta caterua, virûm.
Quos Heliconiades, ac lœto numine Pæan,
Allicit arguta dulciſonaq; chely.
Nam licet ima coquat penitus mihi pectora grandis
Et dolor & luctus difficiliſq; labor:

Neta-

Ne tamen ærumnis ſæuisq; pauoribus iſtis,
Mens ſine Cyrrhæa tota fatiſcat ope.
Neu dolor exuccos planè mihi corporis artus,
Reddat & exangues ingeniumq; premat.
Iam tentanda via eſt, qua molli flumina greſſu,
Pegaſei fontis creber adire queam.
Gorgoneisq; meam mentem conſpergere lymphis
Quas haurit liquido docta THALIA *vado.*
Dent veniam qui Helicona colunt, ſi languida no-
Exili, moueat vena, calore, pedes. (ſtros
Non ego ſolennes pompas neq; carmine rixas,
Bellorumq; faces aut noua regna cano.
Haud Epicureæ tribuo præconia genti,
Quæ Genio indulget, delicijsq; vacat.
Nec refero illicitos inconceſſosq; Hymenæos,
(Impuræ Veneris non mihi furta placent)
Mixta ſed adſiduis memoro lamenta querelis,
Filiolæ reputans fata ſeuera meæ.
His etenim vehemens imis ſuccenſa medullis,
Huc patrij patrium pectus amoris agit.
Impellitq; vt ei, quæ primo intercidit æuo,
Flebilibus faciat iuſta ſuprema, ſonis.
Præſertim pietas cùm id Relligioſa fidesq;
Poſtulet, humanam quæ dolet vſq; vicem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Ergò triſte gemens, dilectæ prolis acerbos
Expediam caſus, & graue mortis onus.
Aſpirent facilem pia Numina verſibus auram:
Vatibus vt grati ſint placitiq́; bonis.
Eſt locus, aërias vbi THINNA parœcia rupes
Inter, & anfractus, vndiq́; preſſa iacet.
Quem non dura ſilex modò, formidandaq́; cautes,
Plurima circumſtat, ſyluaq́; opaca nimis:
Sed nubes etiam, nebulæq́;, niuesq́; perennes,
Atq́; profunda, tetris, ſtagna refuſa, vadis.
Stagna ſalebroſo, latè circumdata, flexu
Prælongæ ac dubiæ difficilisq́; viæ,
Quam crebris, nullo, pedibus, terit ordine plebis,
Agreſtis, velox, indomitaq́; cohors.
Sunt vbi quadrupedum contermina luſtra ferarum,
Culminibus tecti Rollauiane tui.
GOVSTADiciq́;, ſuas vbi barbarus accola, montis
Atq́; ferox, rigidas geſtit adire caſas.
Qui licet algores turritis Alpibus iſtis,
Sentiat ac duri frigora dira poli:
Attamen oppoſitis plantis talaria nectens,
Tranſit inoffenſo, per iuga celſa, gradu.
Præpetibusq́; ſuis lyncesq́; vrſosq́; ſagittis,
Figit ouans, tereti tranſadigitúe globo.

Quo

Quò cum forte meis venio comitatus alumnis
Ac pueris, fidus, quos mihi iunxit, amor.
Ante Deum ſupplex tales è pectore queſtus,
Cum gemitu fundo ſollicitasq́; preces:
O æterne Deus, cœliq́;, ſoliq́;, mariſq́;
Conditor & rector maxime, dexter ades.
Dexter ades, placidusq́; mei ſuſpiria cordis
Reſpice, & optatam fer mihi promptus opem.
Me longinqua procul per ſaxa benignus euntem
Reſpice & ô greſſus dirige quæſo meos.
Fac tuus hæc mecum loca præuius ardua luſtrans,
Angelus inceptum, te duce, carpat iter.
Sit felix iter, vt mea munia lætus obire,
Atq; domum ſoſpes deinde redire queam.
Ah liceat teneris cara cum coniuge natis,
Et vita & longa proſperitate frui.
Annue cœlicolûm Rex & pater optime, votis
Annue quæſo meis, pro bonitate tua.
Auribus accipias placidis hæc vota, parentis
Ætherei ſoboles, ô pie Chriſte, tuis.
Namq́; πανομφαῖος *Saluator noſter es ipſe*
Solus: ἀλεξίκακος *ſolus es ipſe* λόγος
Spiritus hos etiam gemitus ſacer audiat, ille
Qui tua, qui patris eſt viuida flamma tui.

Sic ta

Sic tamen hæc precor, vt tua fiat ſancta voluntas,
Subditaq; arbitrio ſint mea vota tuo.
Vix benè deſieram: mihi cor conſtringitur intus
Curarum ſtimulis præualidoq; metu.
Tempore quo ardenti Leo magnanimus Baſiliſco,
Phœbeæ rutilat clarus honore facis.
Tardigradumq; plagæ borealis condit Aſellum,
Delius achronychôs in freta ſalſa ruens.
Vrſamq; arctoo ſpectat pigrarier axe,
Frigida quam circum palma Bootis agit.
Ac numerat vicina polo, bis pene tricenos
Illa, quibus noſtro diſtat ab orbe, gradus.
Tum curis mihi cor, & acerbi mole doloris,
Luctatur: mihi pax nulla nec vlla quies.
Tentabam triſtes animo depellere curas,
Sedulus officijs colloquijsq; pijs.
Sed fruſtra: Nihil eſt animum diffundere mœſtum
Quod queat, aßiduus pectora mœror habet.
Ac velut excruciat feſſum preſſumq; labore
Corpus, & attenuat peruigil vſq; dolor;
Et mera anxietas ac tœdia longa viarum,
Squalores nimij, tabificiq; metus.
Sic quoq; continuis mentem premit atq; fatigat,
Ærumnis grauibus peruigil vſq; labor.

Quin

Quin me languidulum pauidumq́; inſomnia terrent,
  Detur vt haud vlla nocte quiete frui.
Donec inexcultos, obliquo tramite, colles
  Impiger, atq́; rudes ſortè pererro caſas.
Ipſaq́; cliuoſi Telemarcica culmina ruris,
  Incolumis dia tranſeo fretus ope.
Iamq́; remiſurus patriam, cum fratribus, vrbem
  Montiuagæ linquens monſtra cohortis eram.
Rurſus & ad proprias ædes dulcesq́; penates,
  Facturus recto tramite, pronus, iter
Quando mihi celebres myſtæ ſacra verba ferentes
  Colloquijs ſpondent proſpera quæq́; pijs.
Inter quos veteri, quidam, mihi cognitus vſu
  Dulcis amiciciæ, vir venerandus erat.
CHRISTophori ſoboles, cui nobilis omine dextro
  LAVREA præclarum nomen habere dedit.
Is ſiquidem vera pietate viretq́;, vigetq́;
  Ingenio fœlix, eloquioq́; potens.
Inq́; ſua ſtatione vigil, pia munera Chriſto
  Fert placidè & magni, grande, laboris onus.
Dum facit officium, ſtudijsq́; incumbit honeſtis,
  Ac ſibi commiſſum curat alitq́; gregem.
Integer & reliquis vita ac virtute miniſtris,
  Doctrinaq́; graui conſilioq́; præeſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Tu quoq; Paule aderas cari ſtirps vera parentis
Nicolei, eximia vir probitate nitens.
SANDENA quo paſtore frequens Eccleſia gaudet,
Sandena Drammenſi tota propinqua ſalo.
Fidus vterq; comes, dubio mihi quà ſit eundum
Monſtrat arenoſis ad loca cincta vadis:
Quæ Sabuli ſunt dicta quidem de nomine: ad ipſa
Fraternæ quondam limina nota domus.
Huc vbi paſtoris caput effert ſplendida ſedes
Sandenici, & magnis ſtant ſacra templa dijs.
Huc vbi ſunt pinguis, cultiſsima iugera glebæ,
Huc vbi fœcundos flumen inundat agros.
Flumen, ſquamigero quod piſce, alimenta miniſtris,
Verbi, grata, pijs ſuppeditante ſcatet.
Vt verò celeri per prata virentia curſu,
Huc veni ad notæ tecta laresq; domus;
Collegas binos vidi prope limina ſtantes,
Morum conſpicuos integritate viros.
Ex quibus adueniens ac ædes fortè ſubintrans,
Saluáne cuncta domi ſciſcitor ipſe meæ,
Sciſcitor incolumes an ſint, mihi qui peramanter
Corde animoq; fauent, voce manuq; placent.
Præcipuè verò lachrymis percontor obortis,
An ſocij conſors viuat honeſta thori.

Cum

Cum ſobole optata, reliquiſq́; domeſticus vſus
　Quos mihi deuinxit fœdere amiciciæ.
Protinus hos docta venerandus ab arte Magiſter
　HALVARDVS placido rettulit ore ſonos:
Et viuunt recteq́; valent tua pignora, & vxor
　Cum reliquis, tibi quos mutuus arctat amor.
Huc ſiquidem Aſloïca venit digreſſus ab vrbe
　HALVARDVS patriæ lausq́; decusq́; ſuæ,
Vir pius ac animi recto candore probatus,
　Tam mihi quàm reliquis, integritate, fide:
Qui ſacra iuſtifici tractans myſteria verbi
　Ad Chriſtum monſtrat dulce ſalutis iter.
Tuq́; ſodalitij conſors & fautor honeſti
　BERGI, præclaris annumerande viris.
Quem cum flexanimo, mirè, Tritonia, Phœbo
　PALLAS amat, miris ingenioſa modis.
Dum tua conatur victricia nomina, victrix
　Ipſa, peritorum ferre per ora virûm.
Et facit vt Muſis placeas lepidiſq́; Camœnis
　Sacra lites: ſummum quod ſolet eſſe decus.
Macte animi grauitate tuos NICLAË coæuos
　Vince bonis ſtudijs, officijſq́; pijs.
Perge, vt cœpiſti, rectam non interituræ,
　Streuuus, ac veræ laudis, inire viam.

Rectus ad ingenuas, temet ferat impetus artes,
Regula ſit vitæ, pagina ſacra, tuæ:
Cumq́ ortus ducas haud obſcuros, venerando
Præſule FRANCISCO *de genitore ſatus:*
Doctrina pariter vera & pietate colendi,
Tu benefacta tui rite imitare patris:
Quem non alba comas modò veris laudibus ætas
Sed virtus etiam tollit ad aſtra virum.
Quamuis acta graui, ſint huîc confectaq́ pridem
Fœlici curſu, luſtra bis octo, ſeni.
Coniunctis tamen id votis optabimus omnes,
Vt videat vitæ ſecula longa ſuæ.
O vtinam vegeta viuat vigeatq́ ſenecta
Neſtoreosq́ dies, vir venerandus agat.
Semper enim ſtuduit multis prodeſſe: pieq́
Profuit officijs, ore, labore, manu.
Hunc ſocerum, pie Chriſte, meum ſolare benignũ
Perpetuaq́ ſenem proſperitate bea.
Des illi pacem, tranquillaq́ gaudia mentis,
Gaudia, quæ nullo ſint peritura die.
Cumq́ ſatur vitæ fuerit, plenusq́ dierum
In Chriſto moriens cœlica regna petat.
Sed quò nunc feror? vt vidi prope limina tecti
Collegas ſtantes, ilico, & ante fores.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Acceſsi: affinesq́; meos de more ſalutans,
Edocui longæ, multa perîcla, viæ.
Sæpius hos lachrymis etiam percontor obortis,
Vt valeat proles noſtra tenella domi.
Inde etenim ſua, nauigio, dans lintea ventis
Appulit huc curſu lætus vterq; ſuo:
Lætum reſponſum, plenumq́; ab vtraq; fauoris
Parte datur: ceſſat iam metus atq; dolor:
Cùm quia me curis releuant ludisq́; iocisq́;,
Feſtiuis hilares blandicijsq́; ſuis:
Tum verò reduci, quòd deuia non metuenda
Gens & ſylueſtris ſic mihi vt antè foret.
Poſtquam difficili ventum eſt ſubitoq́; regreſſu,
Huc velut ad patrios, longa per arua, focos.
Huc vbi iucundo ducunt conuiuia vultu
Et recreant dulci corpora feſſa cibo.
Huc vbi non macies ſordet, ſed munere Diuûm
Frugalis dapibus menſa meroq́; nitet:
Sic mea ſic renouat mens atq; redintegrat omnem
Læticiam, vt Chriſto carmina grata ſonet.
Idq́; haud immeritò: nanq; omnis gloria, & omnis
Læticiæ veræ eſt huic tribuendus honos.
Solus enim Chriſtus, quo non præſtantior alter,
Cauſa eſt læticiæ & gaudia vera facit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Promptus in afflictis rebus ſolatia præſtat
Solus: & inde ſalus, non aliunde venit.
Hunc colat, hunc metuat, huic ſupplicet, hūc vene-
Hunc amet, huic fidat, qui pi⁹ eſſe velit, (retur,
Ac bene qui cupiat ſibi conſuluiſſe, ſuisq;
Rebus, & æternos demeruiſſe dies.
Verùm læticiæ ſubitò mihi rurſus adempta eſt
Anſa, & pacatæ cauſa quietis abit.
Gaudia turbantur, delectamenta recedunt,
Plenaq; curarum ſollicitudo redit.
Mens mea diſcuſſo grandi mœrore leuamen,
Conuictu facili ſentijt ipſa quidem:
Sed breuis, ah, nimiùm breuis iſta leuatio mentis,
Et conuiuioli tam breuis hora fuit.
Quàm breuis eſt rapidi venti mora, ſiue volucris
Vorticis aridulam quando fatigat humum.
Poſtera namq; dies funeſtæ mortis acerbos,
Filiolæ caſus nunciat orta meæ.
Vt non immeritò noſtræ querar anxia menti
Tempora mirificis iſta fuiſſe modis.
Heu dolor, heu totas exeſt mihi pene medullas,
Pectoris heu mœſtus, conficit oſſa, dolor.
Fallor? an hæc dudum luctus præſaga futuri
Nobis atrata viſio nocte refert?

Eheu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Eheu mellitæ quoties mihi prolis imago,
Triſticiæ plenum pectus amica ſubit.
Illius (ah) quoties vocem faciemq; recordor,
Candidulam faciem, purpureasq; genas?
Sicné iaces CATHARINA patri matriq; voluptas,
Funere crudeli ſicnè perempta iaces?
Sicné taces? noſtris nec fletibus vlla moueris?
Blandula, dulce decus, filia, ſicné taces?
Oſcula vterq; parens roſeis iucunda labellis
Quàm dedit, ô dulcis filia, ſæpe tuis?
Cincta quòd hæc teneris circumq; plicata lacertis
Colla, atq; amplexu ſint adamata tuo.
Te quia præproperè vis morbi inuaſit, & atra
Suſtulit atq; ferox ac inopina lues.
Et quia nobiſcum ſaltem trieterida plenam
Vixiſti, & menſes ſex totidemq; dies.
Non potis eſt ſæuos animo deponere luctus
Mater, lachrymulas non inhibere graues.
Nec potis eſt triſtes animo depellere curas,
Planctibus aßiduis ſed vacat ipſe pater.
Iuſta tibi ſoluit mater lamentaq; fundit;
Iuſta tibi facit & triſtia vota pater.
Defleo lugubris tua buſta, tuæq; inopinæ,
Ac immaturæ, ſpicula dura, necis.

Heu

Heu grauis, heu totas exeſt mihi cura medullas,
Pectoris heu triſtis conficit oſſa dolor.
Dum tibi, progenies erebi noctisq; ſorores
Lanificæ immites, ſtamina curta ſecant.
Ædunt ſigna ſui manifeſti tetra furoris;
Quòd dura & plusq; ferrea ſceptra gerant.
Antè mihi Parcæ, non re ſed nomine Parcæ,
Pignora, non parca diripuêre manu.
Quatuor exanimi fera mors mihi pignora morſu,
Parcarum princeps ſuſtulit antè ſuo.
Nunc facit vt tenui funus lachrymabile verſu,
Nata tenella tuum mœſta Thalia fleat.
Seu potius frangat calamos macilenta labantes,
Lugubre namq; iuuat non ceciniſſe melos.
Aut ſi fortè iuuat, iuuat incuſare rigorem
Tabificæ, horrendum, mortiferæq; luis.
O inopina lues & ineluctabilis horror,
O immitis, & ô mors truculenta nimis.
Sicné (heu dura et atrox) tenerā, mea viſcera na-
Cuius erat bonitas irreprehenſa, rapis? (tam
Dic mihi in hanc, grādis fuerit quæ criminis expers,
Tam graue ſupplicium quî ſtatuiſſe queas?
Credo equidem, nec vana fides, enormibus illam
Supplicium factis non meruiſſe ſuis.

Num

Num potuit factis pœnam meruiſſe proteruis,
Abſuit à cuius moribus omne nefas?
Quamuis hæc inſons & vitam puriter egit,
Cogitur haud merita morte perire tamen.
Sic parili (tua tanta eſt inclementia) ſontes
Inſontesq́ʒ ſimul conditione rapis.
Cum magnis humiles iuuenesq́ʒ ſenesq́ʒ trucidas,
Inijcis & nulli non ſcelerata manus.
Extentam ruit in naſſam velut æquore piſcis:
Dentibus omnis homo præda petita tuis.
Tu vitam furuis lucemq́ʒ peroſa tenebris
Hanc prædam inuoluis iugiter atra tuam:
Non te diuitiæ placant, neqʒ thura, nec vlla
Victima, quæ ſacris ſternitur icta focis.
Primitias nullas, libamina nulla moraris,
Nec frondoſa ſacris ſerta dicata locis.
Vndiqʒ fœda tui greſſus veſtigia linquis,
Magni quà mundi mœnia vaſta patent.
Quà zephyrus ſpirat: quàq́ʒ aëra ventilat Eurus,
Quà Boreas mugit: quà flat & ipſe Notus.
Sæuiciemq́ʒ tuam nobis tot funera produnt,
Quîs numero tumidi cedit arena vadi.
Sæpe etenim furibunda ruis; dum ſtrage cruenta,
Mille necas homines peſtiferaq́ʒ lue.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Hinc procul à nobis, procul hinc furor iſte faceſ-
E domibus noſtris exulet, èq; vijs. (ſat,
Quid iugulas homineſq; pios, pueroſq;, puellaſq;,
A nigri immunes colluuione gregis?
(O infanda, immitis & implacabilis, atrox,
Monſtroſa, horribilis nauſea, larua, lues)
Cur non blaſphemos, turpiſq; libidinis æſtu
Impuros? fures noctiuagoſq; necas?
Qui malè contempto Chriſto ipſiuſq; miniſtris;
Ludibrio ſummi verba parentis habent.
Quid regnare ſinis tumidos ſine fine Tyrannos,
Conniueſq; horum facta ſceleſta videns,
Quos leuis ambitio vexat, pariterq; cupido
Quæ ſatiari vllo tempore neſcit, opum?
Humani generis diras interfice peſtes,
Nec tuus in pueros ſæuiat iſte furor.
Sæuiat in ventres, qui deſidioſa ſequuntur
Ocia, qui fluidæ dedita turba gulæ.
Quîs tua iura nihil niſi nugæ, vanaq; vanis
Fabula, ſanna, iocus, riſus & eſſe ſolent.
Quiq; aſpernantur numen, ceu nomen inane,
Et quos perpetuò triſtis Erynnis agit.
Sterne, feri, iugula, contunde & frange ſuperbas
Ceruices, tragica conditione preme.

Sæuiat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Sæuiat ira grauis, mulctamq́; his irroget, ipſos
Sic ad Auernales quos iuuat ire lacus.
Fac fuſcas tetræ ſubeant caliginis vmbras,
Antraq́; Lethæi gurgitis ima petant.
Implacabilis his & inexorabilis eſto,
Hîc habeas validè, quod modò robur habes.
Corruat ipſe tuo confoſſus arundine Moſchus,
Illius vt madeas ſanguinolenta nece.
Spicula ſtringe manu, neruosq́; intende potenti,
Vt pœnas ſcelerum, te iaculante, luat.
Qui ſagasq́; magosq́; colit Cacodæmonis aſtu,
Et facinus, ſpreto, perpetrat omne Deo,
Qui feritate lupos & tigridas atq́; leones,
Vrſosq́; immani vincit & exuperat.
Dum populatur agros latè crudelis & vrbes,
Diripit ac populis mœnia ſtructa pijs.
Deniq́; Centauros, ſcurras & alaſtoras omnes,
Ad certum interitum ſic violenta trahas,
Sic turbes, ſpergas, cumules, velut Eurus arenam,
Quæ fluitat curuo littore ſparſa maris.
Nil mea peccauit proles tibi, nulla patrauit
Crimina, ſed vixit ſimplicitatis amans.
Vixit amans pietatis, amans probitatis honeſtæ,
Non tibi, non vlli (crede) moleſta fuit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Et tamen icta graui telo, deuictaq; morbo
    Cogitur ipſa tuum triſte ſubire iugum.
Heu ſubito vires nimis eneruante dolore
    In cineres triſti funere verſa cadit.
En abit in cineres fuerat quæ magna parentum
    Spes, deſiderium, mel, decus, aura, fauor.
Ergóne perpetuo vitæ ſpoliatur honore?
    Non ita: ſed viuit, te moriente, Deo.
Viuit in æternum viuo æternoq; parenti,
    Ac cœlo fruitur, nec tua iura timet.
Amodò non patitur quicquam mea nata, nec vnq;
    Quæ cecidit poſthac te feriente cadet.
Excuſsiſſe iugum graue toto pectore gaudet,
    Gaudet & è laqueis exilijſſe tuis.
Corporeis etenim vinclis nexuq; ſoluta
    Viuit, & ætherei regnat in arce patris.
Non ergò poſthac ſæuis, mors improba, telis
    Fulminibusúe tuis victa vel icta perit.
Germanas famulasúe tuas nihil illa moratur
    Fatales Parcas, quæ tua ſacra colunt.
Turbida non poſthac illam terrebit & atrox
    ATROPOS effuſas ſpernere docta preces.
Nil refert CLOTHóne breui pullata volutans,
    Torqueat an longo tempore fila modo.

Ipſa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Ipſa licet LACHESIS funeſti præſcia fati,
Sorte ſua cunctis penſa ſecanda ſecet.
Ac patulos pandat rictus & dura minetur,
Nec ceſſet furias exerere vſque ſuas:
Non tamen hac illi rabie dominabitur vltra,
Afflatu poterit nil nocuiſſe ſuo.
Nil illam poterit læſiſſe Acheruſia porta,
Vindice nil Chriſto Parca nocere poteſt.
Omnibus exoſæ mortalibus vſq; ſorores,
Sint famulæúe tuæ luctificæq; licet.
Sic tamen afflictis illæ ſolatia rebus,
Præſtiterint noſtris ac medicamen erunt.
Si reliquæ parcant ſoboli, ne & funditus ipſa
Præproperè fiat præda cruenta tibi.
Parcite fatales Parcæ, ſociæq; iugali,
Pignoribusq; ſimul, parcite quæſo meis.
Lurida mors nihil his noceant, contendite, veſtra
Siue ſit illa parens, ſiue ſit illa ſoror.
Ah mea quàm turbant triſtes præcordia curæ,
Cum deſiderio filia cara tui? (quam,
Sed ſatis eſt: neq; enim lachrymis et quæſtibus vn-
Morte perempta mihi nata redire poteſt.
Queſtibus & lachrumis, verbisq; procacibus in-
Duriciem fati vincere quis poterit? (ſtans,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Hei mihi quàm planè nihil hoc durabile mundo?
Vt ſors perpetuo nulla tenore fluit?
Non vnquam fortuna gradu conſiſtit eodem,
Inconſtans celeri voluitur illa rota.
Triſtia ſuccedunt lætis, & gaudia luctus
Conſequitur, ſemper ſunt bona mixta malis.
Vana voluptatis, ſpecioſæ eſt gratia formæ
Vana: inſtar fumi gloria vana perit.
Diuitiæ pereunt, perit ampla potentia mundi,
Quodq; hodie ſplendet cras velut vmbra fugit.
Nil eſt tam validum, quod non citò robore fracto
Diſpereat, vires deſtituatq; ſuas.
Eruta (quod mirum eſt) tandem deuicta fatiſcunt
Ex adamantæo, dura metalla, ſolo.
Quin prælarga etiam, ſcatebriſq; perennia ſenſim
Flumina deficiunt gurgite quæq; ſuo.
Omnia quantumuis nexu firmata potenti,
Imperio ſoluit mors violatq; ſuo.
Seu teneras ſpectes herbas, floreſq; decentes,
Et fruges terræ, ac omne genus fruticis.
Seu varijs cernas diſtincta animantia formis,
Totius hæc mundi quæ tenet ampla domus.
Ergò flebilibus mentem cruciare querelis
Irritus omnino creditur eſſe labor.

Namq;

Namq; ea naturæ lex eſt, vt cuncta creata
Ex cinere in cinerem rurſus abacta fluant.
Hinc hominum caſus varij, pecudumq; ruinæ
Sunt variæ: hinc rerum ſunt ſine fine vices.
Quas reſoluta parit mundi concordia diſcors,
Dum validè vires exerit ipſa ſuas.
Hinc homini ſubitò læſa compagine, fluxis
Motibus, haud aliter vita caduca fugit:
Quàm fugit vnda vorax, vel inanis ſomnus et vm-
Transcurſu velox herbaq; manè vigens: (bra
Quæ citò marceſsit Phœbeæ lampadis æſtu
Veſpere: vel vento falcéue cæſa cadit.
Heu mihi quàm paucos mouet hæc meditatio mor-
Quàm paucos tangit mortis imago viros. (tis,
Occæcata rigent multorum corda veterno,
Fallaciq; fouent ſpemq; fidemq; ſinu:
Dum ſibi promittunt prolixæ tempora vitæ:
Cum tamen haud poſsint hîc ſupereſſe diu:
Vita hominis ceu flos aut fœnum eſt: & velut vm-
Vmbræ ſeu potius ſomnium inane perit, (bra,
Vita homini breuis eſt: mors certa: incerta ſed hora
Mortis: & hæc ſemper regula fixa manet.
Sic quia ſupremo, cui parent cuncta, Tonanti
Viſum eſt, in cuius ſtant rata cuncta manu.

Sic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Sic inquam viſum moderari corpora mundi,
Per varias ſurgant cuncta cadantq; vices.
Fulgida ceu cœlo vult & iubet ire rotundo
Sidera conſuetas atq; redire vias.
Præſcriptasq; ſibi conſtanti fœdere leges,
Ortus ac obitus, quæq; tenere ſuas:
Rebus in humanis immenſo ita ſceptriger ille
Robore præpollens vultq; iubetq; Deus.
Sic vult ſicq; iubet: ſtat & hæc immota voluntas,
In terris homines naſcier atq; mori.
Non temerè aut caſu certè iuſti moriuntur,
Sunt iuſto curæ funera iuſta Deo.
Nec via mortales penes eſt ſua, diriget illam
Cunctipotens ſumma pro bonitate Deus.
Annos largitur ſolus, vitæq; fugacis
Munera diſpenſans tempora quæq; notat.
Ac certos vitæ noſtræ metitur vt annos,
Sic ſtatuit cuiuis tempora certa necis.
Tempora non vlli mortali, ſed ſibi ſoli
Cognita, quæ mira ſtrenuus arte rotat.
Singula diſponens ſapienter, condita lege
Prouidus æterna iuſticiaq; ſua.
Et quamuis vnus ſit & immutabilis idem,
Res bene mundanas mutat agitq; tamen.

Ac mi-

Ac miros ſumit vultus, variasq́ꝫ figuras
Alternat varijs mirificisq́ꝫ modis.
Roriferis aliàs mundum citus obruit vndis,
Aſtra ſerenato qui prius orbe dedit.
Commotusq́ꝫ etiam tonat horriſonoq́ꝫ fragore,
Vibrat ab ardenti fulmina dira manu.
Obſcuros aliàs citò pellit ab æthere nimbos,
Et claros toto reddit in orbe dies.
Cum læta facie & iucundo affulget amictu,
Cuncta decore fouens irradiansq́ꝫ ſuo.
Hoc agitante calor gelidæ poſt frigora brumæ,
Ætherea tandem miſſus ab arce venit.
Gaudia poſt luctum, poſt triſtia funera dulcis
Tempora vitæ inſtant læticiæq́ꝫ nouæ.
Cur igitur diuos querula modò voce laceſſo,
Quid repeto vanas ingeminoq́ꝫ minas?
Non mihi flebilibus nimis indulſiſſe Camœnis,
Ex vſu fuerit, nec mihi grande decus.
Præſertim cum non ſæuos pia numina planctus
Admittant, nec ſit iuſta querela ſatis. (tur,
Quæ mala nunc homini, quæq́ꝫ aſpera ſæpe viden=
Non tamen aſpera ſunt nec mala cuncta pio.
Aut ſi ſunt quædam mala, compenſantur abunde
Dante Deo, multis, atq́ꝫ fauente, bonis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Nullus in orbe poteſt ſuauem traducere vitam
Adiuncto nullo tempus in omne malo.
Dulce Deus nobis promptum de vite Falernum,
Munificus larga ſæpe propinat ope:
Auſteris ſed idem non rarò diluit vndis,
Sit ſapor vt mixtus ſitq́; ſalubris odor.
Nunc vitam triſtem, curasq́; edulcat acerbas
Senſibus infundens vndiq; læta tuis.
Nunc facit vt vitam ſuauem malè triſtis amaror,
Torqueat inuiſis diſcrucietq́; modis.
Vt non perpetuò molles pomeria fructus
Præbent, nec tortæ mollia pruna vepres:
Ac velut haud ſemper dulces tumidosq́; racemos
Vitis fert: etiam huic triſtis amaror ineſt.
Sic neq; noſtra equidem vita hæc dulcore perenni
Conſtat, in hoc mundo paceq́; perpetua.
Læticia quoniam Deus hanc pariterq́; dolore,
Temperat ac curis ſpeq́; metuq́; ſimul.
Temperie vt vigeat corpusq́; animusq́; frequenter,
Dulcibus ingratam miſcet amariciem,
Ergò nihil queſtum prodeſt aut eſſe minatum,
Nullius has conſtat ponderis eſſe minas:
Quando voluntatis diuinæ nulla reſoluit,
Impedit aut minuit iura vel auget homo.

Dic-

Dic mihi quæſo quid eſt homo? nil niſi fœtida maſſa
Fecis & ingentis multiplicisq́ʒ mali.
Cum primùm in lucem materna prodit ab aluo
Eſt miſer, eſt infans, nudus, inermis, inops.
Faſciolis vagit manibus pedibusq́ʒ reuinctus,
Non prodeſſe alijs, nec ſibi tum potis eſt.
Illius vt feruens ætas creſcitq́ʒ vigetq́ʒ,
Excors, effreni mente proterua tonat.
Elatoq́ʒ animo, iam ſesquipedalia iactat,
Ignorans quàm ſit vita vigorq́ʒ breuis.
Aſt vbi paulatim vis hæc animoſa reſedit,
Robore cum fracto flos iuuenilis abit.
Ac ſubeunt morbi triſtes & cana ſenectus,
Iamq́ʒ venit celeri mors truculenta pede,
Pallet & exhalans animam, fit fœtor & horror,
Nauſea, fex, tabes, putre cadauer, onus.
I nunc & lætis tecum ſpaciare Roſetis,
Ac animi, bone vir, gaudia plena cape.
I nunc, & claros ſemper molire triumphos,
Inſignes criſtas erige quæſo tuas.
Nunc tibi nunc buccas ſufflà, pleno ore profuſas
Proijce gloriolas, fortia facta refer.
Blandaq́ʒ ſecteris delectamenta, voluptas
Quæ tua fert ſecum, ſed peritura breui.

O homo mortalis mors te ac ſors atra fatigat,
O homo mortalis larua, carina, lutum.
Non te diuitiæ, non forma, aut viuida virtus,
Non ſtirps, non artes, nec bona fama iuuat.
Cedit honos & opes & magna potentia morti,
Et decus atq; fauor ceu leuis aura fugit.
Puniceum te quando iuuat tranſire Roſetum
Fac tibi ſit cordi ſemper amica ſalus.
Ne tua, ſerpentis ſinuoſa volumina ſtringant
Pectora, ſqualentis tabe: perîcla fuge:
Neu forte offendat tete, incautumq; prehendens,
Pungat dumoſis aſpera ſpina locis.
Diuitias haud ſecteris nimis illecebroſas,
Ne mentem pungant diſcrucientq; tuam.
Sis bonus, ac humilis, probus et patiens: tibi pectus
Sit fidei plenum, ſit pietatis amans.
Sint tibi compoſiti ſine luxu diuite mores,
Nec placeat nimiùm ſplendida vita tibi.
Quod potes, inſerui miſeris: venerare fideli
Mente magiſtratus ſceptra verenda tui.
Strenuus officium facias, ſtatione moreris
In propria: quod ſis ſemper id eſſe velis.
Vera fides cunctis ſit præuia rebus agendis,
Qua ſola nobis cælica regna patent.

Hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Hæc cui contingit, ſummo Duce & auſpice Chri-
In media vitam morte beatus habet. (ſto
Mors eſt dura nimis? quid tum? ſolamen in ipſa
Morte tibi Chriſtus, Chriſtus aſylon erit.
Chriſtus aſylon erit: cui ſi te dedere poſſis
Æterna cœli ſede beatus eris.
Ipſe etenim noſtra eſt & vita & viuida virtus,
Ex hoc fonte fluens, vita beata ſalit.
Hoc duce dura tui fati, ſortisq́; tremendæ,
Ac rigidæ mortis victa trophæa ruunt.
Sis memor ergò tuæ mortis paritérq́; ſalutis:
Certa pijs mors eſt: ſed mage certa ſalus.
Non mala ſed bona mors iuſtorum, cumq́; benigna
Coniunctum, & magna eſt vtilitate decus.
Mors decus & lucrum iuſtis: mors vna piorum
Eſt in conſpectu, res precioſa Dei.
Fœlicem quicunq́; vigil ſua munia curat,
Committens domino cuncta regenda Deo.
Qui moritur vera Chriſti agnitione: parata eſt
Huic mollis dulci tecta ſopore quies. (chrum
Nō morbus, neq́; mors, feretrumúe aut triſte ſepul-
Huic, neq́; Perſephones ira nocere poteſt.
Intulit obſcuro quia corpus inane ſepulchro,
Ac mentem ſoli credidit antè Deo:

 Voce

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Voce tubæ ſuperas tumulis excitus ad auras,
Saluus & in Christo ſoſpite ſoſpes erit.
Cum facis extremæ lux, ipſeq; terminus æui,
Summaq; iudicij venerit orta dies.
Tunc patris æterni ſtillabunt corda fauore,
Conſcia nullius quæ ſibi cunq; mali.
Hæc agites animo ſemper tecumq; reuoluas,
Nec mortem accuſes, ore minante, feram.
Incuſat mortem fruſtra, qui mortis & omnis
Ipſe ſibi vera eſt cauſa & origo mali.
Qui cumulat ſcelus: & ſibi pœnas attrahit ipſi,
Quiq; ſuæ fax eſt & tuba prima necis.
Non labes, non vlla lues, confuſio nulla
Eſſet, nec mala mors, ni malus eſſet homo.
Mors opus eſt hominis miſeri, Satanæq; ferocis,
Et Satanæ ſcelus eſt; & ſcelus eſt hominis.
Ex homine inq; hominem, non ex ſe, mors ſua iura
Iugiter exercet ſæuiciamq; ſuam.
Mors ſceleris merces & ſtirps eſt certa nefandi:
Ipſa ſed eſt donum, viuida vita Dei.
Quippe à ſeſe homini primo Deus ipſe creato,
Impoſuit quondam ſuaue ſalutis onus.
Integer vt cultu ſemper ratione fideq;
Eſſet, & ardenti plenus amore Dei.

Vtq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Vtq́ʒ ipſam effigiem ſummi patris vſq́ʒ referret,
In paradiſiaco ſorte locatus agro.
Nec ſua fœdari ſineret ſimulacra Draconis,
Impuri faſtu mortiferoq́ʒ luto:
Molle ſed æterni miſer, ah, miſer ille parentis
Excuſsit, Satanæ fraude doloq́ʒ iugum.
Hîc recolas ſanctæ fuerit quæ gloria vitæ,
Criminis expertis complacitæq́ʒ Deo.
Gloria magna fuit nimis: aſt ea fluxa breuisq́ʒ
Prò dolor: extorris nam citò factus homo eſt.
Poſtquam ſupremi ſecurus iuſſa Tonantis,
Negligit & ſummi ſcita verenda patris.
Ditis auernalis deluſus ab arte nefanda
E paradiſiaco, pellitur exul agro.
(Nam ſibi diminui ſacrati iuris honores
Haud patitur: temni nec ſua iuſſa Deus)
Mox hebetata malis homini, denſisq́ʒ tenebris
Obruta mens torpet conficiturq́ʒ metu:
Omnia conſueto priuantur membra vigore,
Preſſa dolore graui, preſſa labore graui.
Cunctaq́ʒ lethali turgent perfuſa veneno,
Marceſcuntq́ʒ olim putrida facta nimis.
Virus adhæreſcit naturæ poſteritatis
Infixum toti, quo dominante perit.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Hinc ea proueniunt mala, quîs malus orbis inundat
   Quæ numero & certo fine modoq; carent.
Et quibus haud poterit res vlla creata mederi:
   Non homo quantumuis ſit ratione potens:
Nec licet ingenti, cœleſtis robore præſtet
   Angelus, officio præualeatq; ſuo.
Filius ipſe Dei ſolus ſaluator Ieſus
   Chriſtus erit tantis certa medela malis.
Diluït is roſeo contagia noſtra cruore
   In cruce pro nobis quando cruentus obit.
Nos patriæ, extorres, cœleſti reddet, & alma
   Pace dabit ſolus læticiaq; frui.
Dummodo fidamus illi, nec facta ſequamur
   Improba, quæ ſemper gens ſcelerata patrat
Vita æterna pijs, quam crimine primus Adamus
   Suſtulit enormi eſt iam reditura breuì.
Mors æterna homines, ac infinita rebelles
   Sed manet, & Stygij tartara nigra Ducis.
Tempus enim præſtò eſt, noua quo reparabitur ætas
   Et noua lex, noua lux, pax noua, vita noua.
Quo teres hic orbis grandi compage ſoluta,
   Numine ſupremo concutiente ruet.
Iudicij Iudex iuſtiſſimus ille futuri
   Approperat, ſtillans ora fauore pijs:

Sedre=

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Sed reprobis, ira accenſus ſubitoq́; furore
Æternùm exitium ac dura flagella ferens.
Plurima diuini ſunt præuia ſigna fauoris,
Quæ vitam ſpondent cœlitus ortà bonam.
Plurima diuini ſunt præuia ſigna furoris,
Quæ mortem intentant cœlitus orta malam.
Dulcis amiciciæ facies nitet aurea : dulcis
Arctoo, pacis, floret in orbe decus:
Horrida iampridem poſtquam Bellona receſſit,
Ac inimiciciæ fax furibunda procul.
Vndiq; conſpicitur noſtri clementia Regis,
Quà ſubiecta ſibi florida regna patent.
Dilectos veluti fouet & complectitur vſq;
Cordifluo natos, dulcis, amore, parens:
Sic animo PATRIæ PATER *affectuq́; benigno*
Rex FRIDERICVS *amat nos, fouet, ornat, alit.*
Sic ſanè: vt nunquam pro tanto Principe grates
Noſtra Deo meritas lingua ſonare queat.
Sed quoniam factis frenos laxamus iniquis,
Et nec grata ſatis, nec pia turba ſumus:
Nos Deus haud dubiè tandem commotus atroci,
Seruitio affligit ſupplicioq́; graui.
Ipſe ſui verbi, cœtus modò ſpargit in omnes
Iuſticiæ Chriſtus Solq́; decusq́; iubar.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Saluifici verbi iubar & ſuper omnia lucens
Lumina lumen ad has exerit vſq; plagas:
Quo noſtra exhilarat, recreans dulcedine corda,
Sed quotus hoc quiſq; eſt qui meditetur homo?
Impietas creſcit: pietas decreſcit: & ardor
Pectoribus paucis verus amoris ineſt,
Quo complectantur verè & ſine fraude coruſcam
Lucem Euangelij, ſe quoq; mutuò ament.
Nunc vbi ſimplicitas? vbi priſca fides? vbi candor?
Exulat, ac nomen nil niſi inane manet.
Regnat auariciæ ſcelus, & fraus ficta, ſimultas,
Faſtusq; ac ruditas ambitioq; leuis.
Et licet ipſa locis, olim pax publica, multis
Floreat, hoſtili non temerata manu:
Priuatim tamen vſq; viget diſcordia & omni
Pene loco, grandis, exitialis, atrox.
Regnat vbiq; etiam contentio friuola, luxus,
Liuor iners, odium, tetra libido, furor.
Inſpice templa, ſcholas, & conciliabula & aulas,
Cum paruis latè ſparſaq; rura caſis.
Hîc ſeſe prodit quàm triſtis Lerna malorum,
Quàm ſcateant vicijs omnia plena vagis?
Sedula quîs nunquam ratione medebitur vlla
Cura magiſtratus Herculeusúe labor.

Ah,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Ah, iniuſta vigent hodie certamina: friget
  Iuſticiæ & veræ relligionis amor.
Vnde graues mundo plagas ſæuosq́; dolores
  Inq́; ſuo, immittet damna, furore, Deus.
Is tumidos mundi faſtus, ac robora franget
  Dura rebellantis, robore nempe ſuo.
Nam ſimul ingentes ac exardeſcet in iras,
  Mox graue ſupplicium turba nefanda luet.
Crimina ni agnoſcat ſupplex veniamq́; precetur,
  Delicti plorans pondera magna ſui.
Atroces pœnas ſignorum voce futuras
  Oſtendit, quas gens quæq́; ſceleſta luet.
Cum tot flagicijs vicijsq́; hic mundus inundet,
  Quid mirum pœnæ ſi accumuletur onus?
Cur toties nebulis ac denſis ora tenebris
  Cum ſocia Phœbe, triſtis Apollo tegit?
Atq́; ſua blandos cum clara luce calores,
  Velatus ſupera detinet arce caput?
Scilicet immundi ſcelus inſanosq́; furores
  Mundi, oculis placidis aſpicere ipſe nequit.
Cur cumulat glomeratq́; niues gelidasq́; pruinas,
  Ac dirum arctoo mittit ab axe gelu,
Sublatoq́; aliàs retegens, velamine, vultum
  Iratus flammas euomit immodicas?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Vt ſcelerum vindex commiſſa piacula propter
Afficiat damnis ſupplicijsq; malos.
Quid ſibi vult flagrans bolis horrendiq; cometæ,
Crebraq; candenti fulgura miſſa polo?
Quid cœli faces vndans fuſiq; cruoris
Æmula? quid rutilæ flammea ſigna facis?
Atq; parelia fulgida, nubigenæq; coronæ,
Ac reliquæ facies, quas meteora vocant?
Nonne hæc cuncta notant mala deſignantq; per orbem,
Fuſa nimis tetri colluuione gregis?
Cur tonitru cœlum tremit, atq; ſubinde nocenti,
Et crepitante ictu grando ſtupenda ruit?
Vt rigidum, rigido ſilice multisq; metallis
Durius ac ipſo, cor, adamante premat.
Cur ſubita crebrò, mare, tempeſtate coörta
Murmurat? in prauos ſpirat vbiq; minas.
Terribiles ædit ſonitus concuſſaq; mugit,
Alma ſuo tellus cur tremefacta loco?
Impuros homines viciorum labe notatos,
Ceu graue ceu fœdum ferre recuſat onus.
Cur formidando fundamina pandit hiatu,
Sæpius, ac aperit ſubruta pene chaos?
Abſorbere graui vaſtaq; voragine cunctos,
Flagicijs merſos ilico forſan auet.

Luxu-

Luxuriante aliàs cur vbertate redundat
Fœlix, ac fructus dote beata ſui?
Vt lanam & linum cereremq́; ac vina miniſtret,
Ne deſinit homini grata alimenta pio.
Infœlix alàs cur fructu haud germinat vllo,
Sed facit vt triſtis carduus arua tegat,
Cum lolioq́; leues paßim dominentur auenæ,
Pungentiq́; graues aſperitate vepres?
Si plane nullas aut nullo fœnore fruges
Profert: præfractis pabula lœta neget.
Cur adimit nobis Tellus data munera miro,
Ac non naturæ conueniente modo.
Dum veluti ſopita ſuiq́; oblita laboris
(Numine ſupremo ſic ſtatuente) facit,
Fumoſis furnis illatus vt immutetur
In furuos, panis ſponte ſua, cineres?
Ingrati ſumus, immites ſumus atq́; prophani
Temnitur ipſe Deus: pauper vbiq́; iacet.
Cur nimis informi cingit caligine terras
Obſcuris aër nubibus? omen habet.
Obruta diſsidijs labefactaq́; pectora nocte
Pluſquam Cimmeria forſitan alta ruent.
Quæ cœca excutiunt auroræ cœlitus ortæ
Fulgorem, & magni ſplendida dona Dei.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Nos denſis tandem Deus obruet ipſe tenebris
Accenſus fuerit quando furore graui:
Si ſordes animi non expurgemus, & imo
Pectore fundamus vota precesq; pias,
Delictis veniam poſcentes ſpeq; fideq;,
Dum licet & tempus ſic ratioq; ſinunt.
Hoſtis atrox olim Stygijs excîtus ab antris,
Nos ſatagit technis illaqueare ſuis.
Dum cædem meditans noctesq; diesq; cruentam,
Hoſtili cunctas obſidet arte vias.
Aëris infecti contagia dira per orbem,
Bellaq; cum varijs cladibus vſque mouet.
(Vt vitæ noſtræ congeſta mole malorum,
Sic ſtruat inſidias exitiumq; paret.)
Quæ licet antè diu regnârint, vt videantur,
Nullo incrementum ſumere poſſe modo:
Attamen offenſi permiſſu numinis illa
Creſcunt hoc æuo iugiter inq; dies.
Sed te nec ferrum lædit dulciſsima proles,
Nec diræ peſtis flamma, nec vnda vorax.
Iam te nequicquam deliria vana mouebunt,
Quæ fera plebs ſemper quæq; Gradiuus amat.
Frigore iam nullo, nullo iactaberis æſtu,
In te dura nihil mors modò iuris habet.

Nanq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Nanq; exempta malis remeauit mens tua dudum
Ad paradiſiacas æthereasq́; domos:
Mens pia, mens Chriſti precioſo abluta cruore,
Ad Chriſtum leni tramite fecit iter:
Cui laudes canit, & ſuaui pia carmina voce
Angelicis fundit conſociata choris.
Contegit exuuias tumulus tantiſper, & oſſa
Molliter in terris hîc tua parua cubant.
Donec ad extremum litui rediuiua reſurgent
Clangorem: interea viue beata Deo,
Viue beata Deo viuo, æternoq́; parenti,
Cui poſthac placeas: viue beata Deo.
Cum Chriſto, qua nunc frueris, ſemperq́; frueris,
Sit tibi grata quies, ſit tibi grata ſalus.
Quamuis nulla tui noſtros obliuia ſenſus
Sic capiunt, vt te non meminiſſe queant.
Ne tamen & Chriſtum videar læſiſſe, tuosq́;
Manes: ſit finis luctibus hiſce meis.
Fallor? an eſt omnis ſpes in virtute locanda:
Tu virtus, tu ſpes vnica Chriſte Deus.
Tu ſol, & ſcutum, turris, pax, petra, triumphus,
Præſidium, columen, dux, via, vita, decus.
Imperium, clypeus, victoria, gloria, palma,
Confugium noſtrum, noſtraq́; Chriſte ſalus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1188 4° copy 1